23 Martij 1624 etc.

Sacra Maiestas.

333

N. 86

Singularis obseruantia, qua frater meus Alexander Cardinalis Montaltus in Vram Maiestatem detinebatur, obstrictaq; obligationis uincula, quæ ob eius obitum in me erga ipsam cumulatè translata sunt, enixè mihi persuadent, ut Mtis. Vræ patrocinio summam meorum negociorum commendem; et eximia Vræ Maiestatis humanitas, qua fratrem meum Cardinalem benignè prosecuta est, tutè mihi fidem præstat, Mtem. Vram mè, et mea peculiari quodam studio protecturam, auctoritatemq; ipsius meis rebus maius in dies paraturam incrementum; A his ergo humillimè Vram Maiestem. exoro, ut si quispiam ad Cardinalitiam dignitatem Mtis. Vræ nomine Summo Pontifici Vrbano Octauo sit designandus, auctoritatisq; ipsius suffragio promouendus, Abbati Francisco Peretto filio meo Primogenito, et iam Presbiteratus charactere insignito Vræ Maiestatis auctoritas suffragetur, eiq; tantum ad hoc patrocinium fauorabiliter impertiatur. Ad hoc non frustra spero, mè ad Vræ Maiestatis protectionem confugisse, et iure quidem optimo, cum de summis rebus familiæ illi addictissimæ agatur, cui aliquando fieri poterit, ut in Mtis. Vræ mandatis conficiendis uis, et facultas desit; fides certè, et elaborata diligentia in eisdem curandis nunquam omninò deficiet, et quæ insuper paratissima est ad tuendas ipsius Regni causas, omnes substantias

337

cum ipso vitæ periculo impendere. Ita Deus faxit, ut mihi, meoq
filio ad hoc vires suppeditentur aliunde, sicut hoc studiosa obser
uantia apud omnes testabimur; hoc tamen unum M.tas V.ra in
sibi persuadeat, me, meumq filium nihil curaturos diligentius,
quam ut obsequij promptitudine reuiuiscentis fratris mei per im
tamenta obseruantiæ in Polonorum Regna, et in Maiestatem
V.ram mereamur satisfacere. Interim ita V.ræ M.ti omnia ex
votis, precor ut a Deo optimo Max.o omnia cedant copiosius. Dat.
Romæ die xxiij. mensis Martij anni 1624.

V.ræ Maiest.ti

Addictissimus. seru.or

Michael Venerus

336

23. Mart. 1624. prim. Vienn: Regis resp.